

Ordo ARANEAE.

Subordo TETRAPNEUMONES.

Tribus TERRITELARIAE.

Fam. THERAPHOSIDAE.

Gen. **Phrietus** (L. Koch), 1873.

1. **Ph. soricinus**, n., *olivaceo-fuscus, pilis fulvis sat dense sparsus, sterno coxisque olivaceo-nigricantibus, maxillis intus rufociliatis; area oculorum plus duplo latiore quam longiore, serie oculorum antica a fronte visa sat fortiter deorsum curvata, oculis mediis anticis spatio $\frac{1}{3}$ diametri oculi circiter aequanti separatis, lateralibus anticis etiam postice rotundatis, oculis binis lateralibus spatio separatis quod diametro breviori posterioris eorum minus est; metatarsis 4.ⁱ paris apice aculeis tribus armatis; mamillis superioribus metatarso 4.ⁱ paris parum brevioribus. — ♀ ad. (?) Long. circa 32 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* circa $\frac{1}{4}$ longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, lateribus in medio parum, praeterea leviter rotundatis modice (et anteriora versus parum fortius quam posteriora versus) angustatus: frons truncata fere $\frac{2}{3}$ partis thoracicae latitudine aequat. Humilis est cephalothorax, dorso a latere viso pone foveam centram sensim paullo declivi sed vix convexo, praeterea leviter et sat aequaliter convexo. Impressiones cephalicae obsoletissimae sunt; fovea ordinaria centralis sulcum format transversum, sat profundum, brevem, longitudine (transversa) nec latitudinem areae oculorum nec diametrum femorum aequantem, angustum, sat leviter procurvum, plus duplo longius a margine cephalothoracis antico quam a postico margine remotum. Pube appressa densa vestitus est cephalothorax, ut paene totum corpus; in marginibus lateralibus

longius est pilosus. Tuberculum *oculorum* sat humile est, duplo latius quam longius; area oculorum rectangula, plus duplo latior quam longior. Desuper visa series oculorum antica recta est, series postica leviter recurva ⁽¹⁾; a fronte visa series postica

(1) Curvatura lineae (ordinis, seriei) curvae directione extremitatum definitur: procurva sive anteriora versus curvata est linea, quum extremitates ejus magis anteriora versus sunt directae, recurva vel retro curvata, quum retro diriguntur; et eadem ratione haec linea: \curvearrowright deorsum, haec vero: \curvearrowleft sursum curvata est dicenda; lineae () incurvae sunt, lineae () contra foras curvatae Conf. Thor., Descr. of several European and N.-Afr. Spid., in K. Svenska Vet.-Akad. Handl., XIII, n.º 5 (1875), p. 5, not. 1. — Quum curvaturam seriei oculorum in araneis describo, eam nimirum a curvatura lineae determinatam censeo, quae per *centra* oculorum ducta est, non a linea oculos e. gr. supra *tangenti*! — Sunt, qui, perperam quidem, seriem alteram alteram « latiore » dicant, quum oculi in duas series, longitudine impares, *transversas* sunt ordinati. Linea, series, ordo longior quam alia linea vel series et alius ordo esse potest, sed non latior: linea latitudinem non habet; de « latitudine » seriei vel ordinis militum, arborum, cet., nemo loquitur. Eodem modo *spatium* (intervallum) inter duos oculos idem est ac distantia (= linea) brevissima inter eorum peripherias, et *majus* igitur (vel longius), non « latius » quam aliud spatium dici potest.

Etiam quum series oculorum non recta, sed paulo curvata est, longitudinem ejus, minus exacte quidem, distantiam maximam (lineam rectam) inter peripherias lateralium mensus sum; alio enim modo difficulter de longitudine seriei, cum alius seriei longitudine comparata — quae res sola in his mensuris curvae esse solet — judicari potest. Ita quoque, quum alterum oculorum duorum altero duplo, dimidio, cet., majorem esse dico, *diameterum* illius hujus diametro duplo, dimidio, cet., majorem esse intelligas. Hic de significatione vocis *dimidio* pauca afferre necesse est. Latine A dimidio *majus* (longior, latior) quam B dicitur, quum $B = \frac{2}{3} A$, sive $A = B + \frac{B}{2}$ est, i. e. quum B quidem dimidio *suo* (dimidia parte sua) *minor* (brevior, angustior) est quam A, sed A *non* dimidio *suo*, sed dimidio B, *majus* (longior, cet.) est quam B (si $A = B + \frac{A}{2}$ est, A *duplo* majus est quam B); et equidem plerumque modo illo scripsi, quamquam magis fortasse dilucide « tertia parte sua majus » quam « dimidio majus » interdum dixi. Sed eam ob causam ita quoque mihi scribendum fuit, ut « A $\frac{1}{3}$ ($\frac{1}{3}$, cet.) majus est quam B » significet: $A = B + \frac{B}{3}$, $B + \frac{B}{4}$, cet. (*non* $A = B + \frac{A}{3}$, $A = B + \frac{A}{4}$, cet.). — « B $\frac{1}{3}$ ($\frac{1}{3}$, cet.) minor (brevior, angustior) quam A » contra semper recte dicitur, quum B tertia (quarta, cet.) parte *sua* minor est quam A ($B = A - \frac{B}{3}$, cet.).

Distantiam brevissimam inter marginem clypei et oculos *medios* anticos clypei « altitudinem » (vel, si clypeus parum est proclivis, longitudinem) vocandam credo, saltem quum hi oculi non multo longius quam laterales antici a margine clypei distant. (« Latitudo » clypei, ut volunt quidam, haec distantia appellari non potest: clypeus est pars cephalothoracis inter marginem ejus anticum et oculos anticos sita, et *latitudo* clypei igitur eadem est ac longitudo hujus marginis, i. e. ac latitudo cephalothoracis antice, ad basin mandibularum). Latitudinem cephalothoracis eo loco, ubi facies in dorsum transit, latitudinem *frontis* appello; *facies* pars cephalothoracis est adversa, inter basin mandibularum et dorsum lateraque partis cephalicae (mandibulis igitur exclusis).

leviter, series antica sat fortiter deorsum est curvata: linea recta oculos medios anticos infra tangens laterales anticos parum supra centrum secat. Oculi antici magni; laterales eorum oblongi et valde obliqui sunt, sed etiam in apice postico rotundati, diametro sua brevior (et diametro oculorum mediorum rotundorum) non parum, vix dimidio tamen, longiores; oculi postici oblongi, quorum medii paene parallelae sunt, laterales oblique positi, diametrum mediorum anticorum longitudine circiter aequant: laterales eorum mediis paullo latiores sed vix longiores sunt. Spatium inter oculos medios anticos vix $\frac{1}{3}$ diametri oculi superat; a lateralibus anticis spatio etiam paullo minore remoti sunt hi oculi. Spatium inter laterales anticos et verum marginem clypei diametro breviori horum oculorum non parum minus est. Spatium inter oculos medios anticos et posticos paullo minus est quam spatium inter anticos medios et laterales, sed majus quam spatium exiguum quod oculos posticos medios et laterales sejungit. Spatium inter oculos binos laterales diametro breviori posterioris eorum paullo minus est; intervallum inter oculos duos medios posticos aequae paene longum est ac series ab oculis duobus mediis anticis formata. *Sternum* aequae longum et latum, latitudine maxima paullulo pone medium; antice truncatum est, in lateribus anterie leviter rotundatum, postice late et fere in formam semi-circuli rotundatum; non parum pone medium, intus, ex-adversus coxas 3.^a paris, foveam sat parvam oblongam obliquam glabram ostendit, et non longe a basi coxarum 2.^a paris aliam ejusmodi foveam, sed multo minorem: etiam ad coxas 1.^a paris vestigia foveolae minutae utrinque video. *Mandibulae* sat fortes, desuper visae saltem duplo longiores quam latiores, in dorso, excepto ad basin, ad longitudinem fortissime convexae, patellis 1.^a paris paullo longiores. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores, lateribus parallelis, angulo interiore-posteriore densissime et subtilissime granulato; *labium* paene rectangulum, circa $\frac{1}{4}$ latius quam longius, secundum marginem anticum truncatum fascia lata granulorum densissimorum et subtilissimorum munitum. *Palpi* extensi ad apicem tibiae pertinent; pars patellaris parte tibiali paullulo brevior est, partem tarsalem lon-

gitudine aequans (1). *Pedes* mediocres, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes, scopulis praesertim in pedibus anterioribus densis, in tarsis 4.ⁱ paris fasciâ setorum distinctissimâ persectis, muniti: in tarsis 3.ⁱⁱ paris loco hujus fasciae modo series inaequalis setarum conspicitur. Aculeis carent pedes, excepto in metatarsis 4.ⁱ paris, qui apice subter aculeis 3 fortibus armati sunt. *Abdomen* elliptico-ovatum, paullo plus dimidio longius quam latius. *Mamillae* superiores inferioribus saltem quadruplo longiores sunt, metatarsum 4.ⁱ paris longitudine paene aequantes; ex articulis ternis paene cylindratis et paene aequae longis constant, quorum 3.^s reliquis evidenter angustior est, apice obtusus; art. 2.^s paene triplo longior est quam latior.

Color. — In fundo animal paene totum nigricans vel fuscum est, pube densa appressa olivaceo-fusca tectum et pilis longis fulvis in abdomine et supra in mandibulis, magis versus apicem earum, ut et in palpis et pedibus sat dense sparsum; pedes etiam nigro-pilosi, praesertim subter versus basin, quare coxae, ut sternum nigro-pilosum, subter olivaceo-nigrae videntur. Unguis mandibulae niger est, cilia maxillarum rufa.

Lg. corp. 32; lg. cephaloth. $12 \frac{3}{4}$, lat. ej. 10, lat. front. $6 \frac{1}{2}$; lg. abd. 19, lat. ej. 11 millim. Mandib. $6 \frac{3}{4}$ millim. longae, paullo plus 3 millim. latae. Palpi $25 \frac{1}{2}$ millim. Ped. I 38 (fem. 9, pat. 6, tib. 8, metat. $6 \frac{1}{2}$, tars. $4 \frac{1}{2}$), II $35 \frac{3}{4}$, III 31, IV $39 \frac{1}{4}$; pat. + tib. IV paene $12 \frac{1}{2}$, metat. IV $9 \frac{1}{4}$ millim. Mamillae sup. 9 millim. longae.

Cel. Fea feminaum singulam, quae fortasse nondum plane adulta est, ad Bhamò invenit. — Haec species *Ph. flavo-piloso*, Sim., valde affinis est: distingui potest non tantum alio colore, verum etiam mamillis superioribus longioribus (in *Ph. flavo-piloso* metatarso 4.ⁱ paris circa $\frac{1}{4}$ breviores sunt) et differentiis non paucis in statura et distributione oculorum: conf. descriptionem *Ph. flavo-pilosi*, in Simon, Arachn. rec. en Birmanie, *cet.*, loc. cit.,

(1) Pedum longitudinem a margine cephalothoracis ad apicem tarsorum mensus sum; formam et dimensiones internodiorum pedum et palporum eas dedi, quas habere videntur hae partes, quum desuperne inspiciuntur, mandibularum tales quales habent, quum a dorso mandibulae inspiciuntur.

p. 359 (35). Etiam in *Ph. flavo-piloso* area oculorum plus duplo latior quam longior est. — *Ph. Paviei*, Sim. (1), ex Siam, et *Ph. dyscolus*, id. (2), ex Cochinchina, ii quoque *Ph. soricino* nostro valde affines videntur, sed certe ab eo distincti sunt.

Fam. CTENIZOIDAE.

Gen. **Conothele**, THOR., 1878.

2. **C. Birmanica**, n., *cephalothorace nigro-testaceo, summo margine et area oculorum nigris, palpis, pedibus mamillisque testaceo-fuscis, abdomine nigro; serie oculorum postica desuper visa recta, non procurva, oculis lateralibus anticis fere duplo longioribus quam latioribus, et reliquos oculos sub-aequales magnitudine multo superantibus; tibiis anterioribus supra inermibus (area triangula spinularum ibi, ad apicem extus, carentibus)*. ♀ jun. Long. saltem 11 millim.

FEMINA jun. — *Cephalothorax* paene dimidio longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, non parum longior quam latior, in lateribus in medio sat fortiter, praeterea sat leviter (posterior levius quam anterior) rotundatus et posteriora versus paullo fortius quam anteriora versus sensim angustatus, lateribus antice non sinuatis; postice parum emarginatus est, antice truncatus, latitudine clypei dimidium latitudinis maximae partis thoracicae paullo superanti. In medio valde altus est cephalothorax, et hic elevationem magnam oblongam quasi format, posterior fortiter arcuato-conve-xam, anterior paene libratam; praeterea a latere visus anterior secundum lineam rectam ad tuberculum oculorum (duplo latius quam longius) modice descendit, versus marginem posticum vero fortius declivis est, hac declivitate postica superius, loco sulci ordinarii centralis, fortiter impressa; qui sulcus, profundissimus et fortissime procurvus, elevationem illam partis cephalicae postice cingit, circa duplo longius a margine clypei quam a margine cephalothoracis postico remotus. Impressiones (sulci)

(1) Arachn. recueillis par M. A. Pavie . . . dans le royaume de Siam, au Cambodge et en Cochinchine, in Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, XL (1886), p. (26).

(2) Ibid., pag. (27).